

dum igitur artium atque scientiarum non alius est finis, nisi utilitas & commodum mortalium: ita Bibliopolia quoque atque officinae Typographicae hunc in finem constituendae sunt, ut omnibus profint noceant nemini. Atque in hoc sibi elaborandum esse nunquam non statuerunt *Heredes atque Possessores Bibliopolii Tauberiani*; hoc ipso nomine germanico a columbis mutuato, excitati, ut procul omni fraude, excudendis & dividendis optimis libris, profint omnibus, noceant nemini. Id quod satis declarant Bibliothecae adscripta verba:

Prodest sine detrimento.

INSIGNE II.

Ab hoc primo non multum differt insigne alterum, quo iidem Heredes Tauberiani usi sunt in Fastis Academiae Altorfinae, suis sumtibus excusis, quorum Partes V. prodierunt. Omissis enim ornamentis quibusdam prioris signi, Minerva, inter duos globos, coelestem alterum alterum sphaericum, sedens, brachiumque sinistrum innixa clypeo, manu eadem vexillum tenet, Liberae S. R. I. Civitatis Norimbergensis insignibus superbiens. Libro Minervae pedibus adjacenti inscripta leguntur verba: *Musa vetat mori*: Addita huic sunt calathus florifer & instrumenta Musica. Iuxta globum sphaericum, in latere dextro conspicuum, ulula humi sedens accensam lampada respicit. Praeterea in conspectu est superior pars Altorfii, oppidi Academiae virisque